

Georg Rudolph Böhmer

**Facultatis Medicae In Academia Wittenbergensi H. T. Decanus Georgivs Rvdolphvs Boehmer ...  
Habendam Indicit Praemissa De Plantarvm Syperficie Genera Et Species Definiente**

## **Exercit. Tertia**

Vitembergae: Litteris Caroli Christ. Dürrii, [1770?]

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862451329>**

Band (Druck) Freier  Zugang



*d. d. Roepen. 1878.*

FACULTATIS MEDICAE  
IN  
ACADEMIA WITTEBERGENSI  
H. T. DECANVS  
GEORGIUS RVDOLPHVS  
BOEHMER  
PHILOS. ET MEDIC. DOCT. ANAT. ET BOTAN  
PROF. PVBL. ET PHYSIC. PROVINC  
PANEGYRIN MEDICAM

AD D. XXXI AVGVST. A. R. S. CIDICCCLXX



HABENDAM

INDICIT

PRAEMISSA

DE PLANTARVM SUPERFICIE

EXERCIT. TERTIA



*Nc - 4306. (9.) Caps. Nc. 4.*

*4773*



## DE PLANTARVM SUPERFICIE EXERCITATIO TERTIA.



Ad externum plantarum habitum, partiumque figuram, colorem, et superficiei proprietates varias medici praecipue respexerunt, et ex his internae mixtionis atque virtutis quasi characteres eruere laborarunt. Hinc orta illa de rerum signaturis doctrina, a PORTA, GVDRIO, CROLLIO, CRAVSIO aliisque exposita atque defensa, sequenti autem et recentiori tempore refutata atque neglecta. Neque eandem denuo efferre vel defendere volumus, lubenter potius concedimus, nimium progressos fuisse Cel. Viros, et similitudines rerum saepissime vel adsumsisse, vbi nullae fuerant, easdemque finxisse, vel minus recte vsurpasse, et virtutes inde deduxisse, quae nullo modo insunt, et experientia nequiquam sese exerunt. Atq; abusus ille non omnem tollat vsu. Est omnino in externa plantarum facie aliquid, idque multiplex et varium, ex quo internam mixtionem et inde pendentem virtutem derivare atque cognoscere, etsi non semper, aliquando tamen, possumus.

Nonne plantae in fructificatione conuenientes, plerumque etiam viribus conueniunt? vt forte primum exposuit CAMERARIVS<sup>g)</sup> postea

HEBFN-

g) In. Diss. de conuenientia plantarum in fructificatione et viribus, Tubing. 1699.



HEBENSTREITIVS <sup>b)</sup> aliique. Nonne, si et priorem canonem, rationibus et exemplis a GLEDITSCHIO <sup>i)</sup> exhibitis permoti, limitare debeamus, cum LINNAEO <sup>k)</sup> affirmandum? *plantae, quae ordine naturali continentur, etiam virtute propius accedunt, quaeque classe naturali congruunt, etiam viribus quodammodo congruunt.* Verum nec in hanc litem nosmet immiscere nunc volumus, potius ad solam, striete sic dictam, superficiem regrediamur, eandemque de interna virtute egregios saepe characteres praebere, exemplis quibusdam illustremus.

Et inter illa, quae ad superficiem contemplationem nos quasi invitare videntur, merito primum locum desiderant glandulae, vel partes huiusmodi analogae, pili et quae reliqua. Habent quidem plures, immo forte omnes plantae in variis partibus, praecipue in foliis, eiusmodi organa, in quibus peculiaris succus elaboratur, nos vero de illis modo nunc dicemus, quae omnium oculis patent, et secretum eiusmodi humorem odore imprimis manifestum reddere solent <sup>l)</sup>. Ita e. gr. in Calaminthae speciebus utraque foliorum iuniorum pagina, nudo oculo perforata apparet, et si lentem adhibemus, in alveolis his glandulas animaduertimus, quae balsamicum humorem continent, a quo ipse plantae odor dependet. Balsamita, quae a medentibus neglecta fuit, praestantissima exinde videtur medicina, quod folia alveolata et glandulosa balsamum exsudent, qui inspissatus luteum colorem et resinae consistentiam adsumit, gratissimumque odorem spirat. In Hyperico non solum perforata apparent folia, sed et calix et corolla guttulas balsamicas adnatas gerunt, siue superficiem plantae peculiare folliculi adhaerent, rubicundo humore repleti, quem per experimenta disquisiuit, eumque gummi Laccae et Sanguini Draconis similem, immo praestantiorum inuenit GADDIVS <sup>m)</sup>. Nonne vel ideo Plumbago europaea

a 2

b) In Diss. de sensu externo facultatum in plantis iudice, Lips. 1730.

i) Vid. Diss. de Methodo botanica dubio et fallaci virtutum in plantis indice, Francf. 1742.

k) Philos. bot. §. 337. p. 278.

l) Ad hunc, in glandulis plantarum secretum, humorem, et inde deriuandam virtutem curatius, quam alii, respexit TOZZETTIVS in Catal. Plant. Horti Florentini, in quo ea imprimis legi merentur, quae de Salvia, Serpillo aliisque p. 121. 168. 173. et aliis locis passim bene notauit.

m) Vid. Schwed. Acad. Abhandl. 24 Band p. 115.



ropaea et Fraxinella <sup>n)</sup> a medicis magis aestimandae, quia in priori pili, calici exterius adnati, viscidas guttulas in apice gerunt, et in posteriori superior caulis pars, calix et corollae petala, nec non staminum filamenta et pistillum coloratis crystallis ornata inveniuntur. Nonne Siegesbeckia orientalis et propter calicem, pilis glutinosis auctum, et inprimis semina glabra et viscida, aromaticum odorem spirantia, nec non Carpesium cernuum, ubique in superficie aridum et ficcum, semina vero glaberrima, unguento balsamico quasi illita, et tangentium digitos odore gratissimo inquinantia, gerens, medicamentorum suppellectili inferendae? praecipue cum in hortis nostris prior ex seminibus sponte luxuriet, altera autem radice facile multiplicari et in nostro climate conservari possit. Possimus facile plura plantarum exempla recensere, in quibus puncta glandulosa adsunt, et quae vel ex his medicatis annumerari deberent, ut est Psoralea pinnata et bituminosa, Dracocephalum canariense, Tagetes et aliae. Verum missis his minutis, quae autem magna sunt naturae miracula, progrediamur ad aliam superficiei proprietatem, medicorum attentione dignissimam.

Colores plantarum, earumque partium varii minus certum de interna virtute praebent criterium, et aphorismus III. LINNAEI <sup>o)</sup> color scil. pallidus inspidum, viridis crudum, luteus amarum, ruber acidum, albus dulce, niger ingratum indicat, plurimas ubique admittit exceptiones. Inprimis autem fallimur, si ex plantarum colore praesagia desumere vellemus, qui minus constans, potius pro culturae vel aeratis differentia variabilis esse solet. Eiusmodi enim alienus, a viridi diversus, color morbosus <sup>p)</sup> potius, quam naturalis status index erit, atque hinc  
ad

<sup>n)</sup> De qua nuper in singulari libello egit, eamque medentibus denuo commendavit Cel. STÖBERKIUS.

<sup>o)</sup> Phil Bot §. 364 p. 286.

<sup>p)</sup> In hortorum et arborum inprimis cultura, signum, a foliorum colore mutato desumptum, magni omnino est momenti. Arborea enim, quae in foecundo solo habitant, et laete crescant, variegatam foliorum picturam amittunt, dum e contrario illae, quae ex defectu nutritii succi, vel ex propria debilitate incrementum deficient, eandem retinere solent; hinc etiam folia, antequam autumno decidant, plerumque alienum colorem adsumunt; hinc plantae, floribus variegatis instructae, certo modo morbosae dicendae, facile degenerant, propriumque colorem iterum recipiunt. Vid. DU HAMÉL *Natur-Geschichte der Bäume*, IV. Buch p. 136.



ab horticultoribus quidem, non vero a medicis aestimari potest. Una vero coloris species, quae etiam reliquis constantior esse solet, prorsus negligi a medicis haud debet. Est hic niger, vel ad nigredinem quodammodo accedens, vix verbis accurate determinandus, qui tristem aspectum, luridamque faciem plantae constituit. Hic imprimis, si flores et fructus spectamus, plerumque suspectae, immo venenatae indolis index esse solet, ut in Belladonna, Hyoscyamo, Cynoglossa, Periploca, Stapelia, Actaea, Coriaria et aliis cognoscimus; Et si etiam non in omnibus idem valeat, fructusque esculenti aliquando eadem nigredine tincti occurrant, sapienter tamen monuit MANETTI <sup>q)</sup> si alicui affertur ignota planta, nigris bacis referta, nunquam ipsam edat, antequam innoquam esse, observationibus constet. Hinc ubique nigrum colorem attentione nostra dignum censeamus, et maculas illas, quae in superficie foliorum secundum naturam in hac vel illa planta inveniuntur, quales Exercit. I. in inferiori superficie Anagallidis et superiori Cyclaminis notauimus, nunquam inspiciamus, quin de singulari plantae virtute simul cogitemus. Praeterea sedulo etiam obseruemus coloris mutationem, quam plantae in exsiccatione subeunt, et si nigredinem adsumunt, omnique arte adhibita in viridi statu conseruari nullo modo possunt, probabili admodum coniectura concludimus ad internam singularem mixtionem, quae eo magis confirmatur, si eiusmodi plantam recentem putrefactioni committimus, et nouam coloris mutationem animaduertimus. Has enim, quae exsiccatae atro colore inficiuntur, plerumque pigmento, coeruleo imprimis, obtinendo inferuire, non solum primo omnium forte LINNAEVS docuit, sed etiam ipsa experientia confirmauit. Melampyrum coeruleum e. gr. in herbariis viuis nunquam naturalem colorem retinet, sed nigredinem semper in omnibus paribus ostendit, per putrefactionem ex eodem tinctoriam materiam coeruleam obtinuit CRONSTEDTIUS <sup>r)</sup>, quae quidem ad praesentiam illius, quae Indigo dicitur, non accedit, at tamen ideo artificibus physicisque accepta erit, quia color eius coeruleus non, ut quidem alias euenit, acidis additis, sed potius alcalinis admixtis, mutetur et in rubicundum conuertatur. Ideoque

a 3.

con-

q) Vid. Regnum Vegetabile, Florent. 1756. edit. p. 56.

r) Vid. Schwed. Acad. Abbandl. XIX. Band p. 196.



consilium, quod Ill. van LINNE dedit, hac occasione repetere et commendare volumus, dum scilicet scripsit: <sup>s)</sup> Cui nouos in regno vegetabili volupe fuerit colores inuestigare, plantas inprimis obseruet, quae colorem siccatae variant, praesertim ubi a botanicis aut humidae carptae, aut tardius chartas inter bibulas arefactae, vt primum fere gradum subierint putredinis; hoc modo siccatae Mercurialis perennis, Rhinanthus crista sunt cineraceae, flores Loti corniculati et Anthyllidis vulnerariae redduntur coerulei, Orobis niger, Lycopus europaeus, plurimae parasiticae radicum, vt Hypocistis, Cynomorium, Monotropa, Lathraea nigricant. Simili modo mutatas, et inprimis atro colore tinctas, in herbario construendo, plures animaduertimus plantas, vt est Buchnera africana, Selago corymbosa et sic aliae. Aliae porro superficiei proprietates a medicis considerari debent. Dum fericeam quasi laeuitatem et mollitiem, a villis pilisque tenerrimis ac mollissima lanugine enatam, animaduertimus, non inepte ad virtutem lenientem et emollientem concludere nos posse, Althaea et Verbascum declarant. Plantae, quae vel vrentibus stimulis armatae, vel aculeis, spinis, fortioribusque armis instructae inueniuntur, varium etiam et in re medica et oeconomica vsum exercere possunt. Posteriores sepius inprimis construendis aptissimam subministrare materiam, scimus omnes; et paralyticas corporis humani partes Vrticis caedere, vel spinosis hamis, glumarum inprimis scalarum, in ophthalmia, aliisque oculorum morbis palpebras (scarificare <sup>t)</sup>) solemus, aliasque ex superficie <sup>u)</sup> plantarum utilitates expectamus. Verum superfedemus plura recensere commoda, potius et noxas videamus, de quibus autem proxime. Hic enim in praesenti subsistendum est. Transeamus nunc ad commendationem

No.

<sup>s)</sup> In Diss. de Plantis tinctoriis; Vid. Amoenit. Vol. V. p. 320.

<sup>t)</sup> De qua methodo, inprimis a AWOOLHVSIO inuenta, an potius ab HIPPOCRATE iam tradita, et quaenam planta adhibita fuerit, erudite disputauit Illustris Noster TRILLERVS in peculiari programma 1754. edit.

<sup>u)</sup> Conf. HEBENSTREITII Diss. cit. p. 10. vbi dicit: *Tactus iudicium hac in re non negligendum esse, quippe qui ex superficie plantarum aut saluum vegetabilium incutem agendi potentia argumentari conabitur.*



Nobilissimi Doctissimique  
DN. FRIDERICI ERDMANNI HEMPELII

*Medicinae Candidati Dignissimi,*

qui vitae suae atque studiorum rationes sic nobis Ipse exposuit

*E*go, Fridericus Erdmann Hempel, natus sum Pissenae prope Merseburgum Anno c1o1oCCXXXVIII. Patrem habui M. Gottlob August Hempelium, Pastorem ecclesiae loci natalis meritissimum, matrem Margaretham Henricam e Stirpe Sittigia. Optimi hi parentes, quos praematura morte ereptos adhuc lugeo, a tenera iuventute ipsimet, et per varios praeceptores in principiis sanctissimae religionis atque litterarum humaniorum, linguarumque elementis fideliter me imbui curarunt. In illis vero, qui solidioribus scientiis, et quae ad academica studia me praeparare possent, diligenter me eruduerunt, imprimis nominare atque grate praedicare debeo Duumuiros optime de me meritos M. Mautrich, vigilantissimum quondam Schaecherchensis ecclesiae Pastorem, ante aliquot annos pie defunctum, et M. Scherberum, Rectorem etiamnum Scholae Skeudicensis. Cum vero artem pharmaceuticam, quam addiceram, Tenae et Lipsiae exercerem, ipsius Medicinae et Praxeos amore captus, Fafelii, Kalfschmidii, atque Magnif. Pohlîi praelectionibus anatomicis, physiologicis, et chirurgicis, quantum rerum mearum conditio permitteret, interfui. Wittebergam autem vix accesseram, quo, antequam Albo studiosorum inscriberer, quod factum est An. c1o1oCCLXV II. d. XXXI Octobr. sub auspiciis Magnifici Boehmeri, fasces Academiae tunc gerente, priuatissimis Magnif. Langguthii institutionibus me totum tribui, e cuius ore omnem cursum medicum percepi. Cuius nunc ipse factus ex Illustris Trilleri priuatis sermonibus plurimos percepi fructus, Langguthii autem, immortaliter de me meriti Patroni, praelectiones etiam publicas et priuatas, de Pathologia, Therapia generali et speciali, Chirurgia, arte obstetricia, atque Medicina forensi, habitas, frequentavi. Magnif. vero Boehmerum, Praeceptorem ad cineres usque venerandum habui, institutiones pharmaceuticas Poernerii, primarias partes Anatomiae, Osteologiam, Splanchno-





chnologiam, nec non Botanicam, atque Medicinam forensam explicantem, cuius etiam Disputatoriis exercitationibus interfui. Excellentissimum tandem Bosium de Venenis et Antidotis differentem, et in Meadii Monita et Praecepta medica commentantem, audiui.

Ita scientia atque peritia instructus Facultati nostrae desiderium modeste exposuit, summosque in Arte salutari honores petiit. Exploratis ergo antea, in Examine, cum Ipso instituto, Eius profectibus, dignus omnino inuentus est, cui aditus ad summos honores acquirendos, aperiretur. Quapropter Dissertationis inauguralis de *Iusta plantarum indigenarum in Pharmacopoliis reformandis aestimatione*, meo sub praesidio, d. XXXI. Augusti publice habendae Ipsi facta est copia. Vos autem Rector Academiae Magnifice, Illustrissime Comes, Perillustis Liber Baro, Patres Conscripti, Fautores, Amici, Generosissimi item ac Nobilissimi Commilitones, qua par est, obseruantia et humanitate rogamus, velit huic Actui interesse, et nouo fauoris et amoris Vestri documento nos ornare.

P. P. XI. Dom. post Fest. Trinitat. MDCCLXX.

V I T E M B E R G A E

LITTERIS CAROLI CHRIST. DÜRRII ACAD. A TYPIS



confilium, quod Ill. van  
 mendare volumus, dum  
 volupe fuerit colores inuestiga-  
 tae variant, praesertim ubi  
 tas inter bibulas arefactae,  
 modo siccatae Mercurialis pe-  
 Loti corniculati et Anthyllidis  
 copus europaeus, plurimae  
 Monotropa, Lathraea nigrica  
 colore tinctas, in herbario  
 tas, ut est Buchnera afri-  
 porro superficiei proprie-  
 fericeam quasi laeuitatem  
 mollissima lanugine enat-  
 tem lenientem et emolliet-  
 bascum declarant. Plantae  
 aculeis, spinis, fortioribus  
 etiam et in re medica et  
 riores sepibus inprimis c-  
 riam, scimus omnes; et  
 caedere, vel spinosis har-  
 ophthalmia, aliisque occu-  
 mus, aliasque ex superficie  
 rum superfedemus plura  
 mus, de quibus autem pro-  
 est. Transeamus nunc ad

- 1) In Diff. de Plantis tinctoriis
- 2) De qua methodo, inprimis a  
 TE iam tradita, et quaena  
 Noster TRILLERVS in pec
- 3) Conf. HEBENSTREITII  
 non negligendum esse, quippe  
 cutem agendi potentia argumen

✎

hac occasione repetere et com-  
 t: 5) Cui novos in regno vegetabili-  
 primis obseruet, quae colorem sicca-  
 humidae carptae, aut tardius char-  
 e gradum subierint putredinis; hoc  
 uthus crista sunt cineraceae, flores  
 dduntur coerulei, Orobus niger, Ly-  
 icum, ut Hypocistis, Cynomorium,  
 modo mutatas, et inprimis atro-  
 o, plures animaduertimus plan-  
 corymbosa et sic aliae. Aliae  
 cis considerari debent. Dum  
 a villis pilisque tenerrimis ac-  
 uertimus, non inepte ad virtu-  
 ere nos posse, Althaea et Ver-  
 vrentibus stimulis armatae, vel  
 nstructae inueniuntur, varium  
 vsum exercere possunt. Postea  
 aptissimam subministrare mate-  
 corporis humani partes Vrticis  
 um inprimis scalinarum, in  
 ois palpebras (scarificare) sole-  
 m vtilitates expectamus. Ve-  
 imoda, potius et noxas videam-  
 enim in praesenti subsistendum  
 ionem

No.

Vol. V. p. 320.

o inuenta, an potius ab HIPPOCRA-  
 ta fuerit, erudite disputauit Illustris  
 pate 1754. edit.

ibi dicit: Tactus indicium hac in re  
 plantarum aut salium vegetabilium in

